

CM. 706
INTIMATIO FVNE-
BRIS

In Obitum

Litteratissimi & Politissimi Viri-Juvenis

Dn. JOHANNIS Hoffman SER-
VESTANI S.S.L.L. Studiosi in flore ætatis ex lethali
vulnere die 30. Maij Anno 1635. vitâ piè
defuncti

SCRIPTA

A

RECTORE & SENATU ACA-
DEMIAE REGIOMONTANÆ



Typis Laurentij Segebadij.
M. DC. XXXV.



Sapientissimus legum Atticarum conditor SOLON, dum ex amicis quendam morientem, in arcem perduxit, hortatusque est, ut per omnes subjectorum in urbe ædificiorum partes oculos circumferret. Quod ubi factum animadvertit, Cogita nunc tecum, inquit, quàm multiluctus sub his tectis olim fuerint, hodieque versentur, insequentibus seculis sint habitaturi, & mitte mortalium incommoda tanquam propria deflere. Quâ consolatione Sapiens ille demonstrare voluit, urbes & oppida nihil aliud esse, quàm humanarum miseriarum domicilia, quibus luctus, moerores, tristitiæ mortalium, quasi septis includerentur. Ideoque Socates Græcorum sapientissimus interrogatus, quomo-

do

do quis vitam absque molestiá tran-
sigeret, negavit id ullo modo fieri
posse. Non enim dixit: Licet civi-
tatem aut domum inhabitanti, &
cum hominibus conversanti vitam
sine molestiá transigere. Atque
hæc revera ita se habere totus huma-
næ vitæ cursus, à primâ nativitate
usque ad ultimum vitæ terminum,
satis superq; ostendit. A primâ e-
nim nativitate, totus homo morbus
est, vitamque Flentes & plorantes
ingredimur, utpote in lachrymarum
vallem veluti protrusi, & crescenti-
bus annis, in dies crescunt quoque
labores, calamitates & miserix, do-
nec tandem decretoria mortis hora
adveniat, & omnibus malis & mi-
seriis exoptatum Finem imponat.

Hujus rei exemplum hodierno
die nobis proponitur in Litteratis-
simo

limo & Politissimo viro. juvene JO-
HANNE HOFMAN SERVE-
STANO S.S. L.L. Studioso, qui &
ipse vitæ hujus miserias & calamita-
tes est expertus, quas fortiter susti-
nuit & nudius tertius ex hac morta-
li & caducâ vitâ in cœlestem trans-
latus, pio & placido ex hoc ergastu-
lo discessu, superavit. Fuit juve-
nis viginti duos annos natus præ-
stanti & decoro corpore, ingenio
prompto & alacri, judicio acri & e-
ruditione non vulgari, Gente & na-
tione Saxo, patriâ & regione Serve-
stâ, & loco honesto natus, Patre
Amplissimo & Prudentissimo Dn.
MARTINO HOFMAN sena-
torii ordinis istius loci, viro de Re-
publ. multis nominibus meritissimo,
& fæminâ primariâ omni virtutum
decore in exemplum ornatissimâ.
Parentes filium hunc,
quem

quem impensè amaverunt, sollicitè
enutriverunt, multis impensis in lo-
cis exteris habuerunt, tam miserè
extinctum acerbissimè lugebunt:
flebilis cuique suorum casus est, &
toties homo moritur, ut Mimus Pu-
blius dicebat, quoties suos amittit.
Ut verò in bonâ indole a teneris af-
suescere multum est, & servat odo-
rem testa diu, quo semel est imbuta
recens; ita nil potius fuit parenti-
bus, quàm ut filium liberalibus di-
sciplinis, quibus non aptus solùm
sed & innatus videbatur, fideliter
nutrissent, facerentque ut super vul-
gus altius emineret & in magnam ali-
quando proceritatem succresceret.
Quò factum ut studiorum funda-
menta primò in scholâ patriâ jaceret
& jactis post in Gymnasio illustri ibi-
dem feliciter superædificaret, Ad
Acade-

Academiam Marchicam Francofurtensem ad
Oderam deinde profectus, Themidi litare cepit,
vitamque tamquam in speculo ad alienas virtutes
composuit, & quod Seneca præscribit peregrè
abeunti, inter studia versandum esse & inter autores
Sapientiæ, ut quæ sita discamus, nondum inventa
quæramus, diligenter attendit. Hinc V Vitte-
bergam continuandorum studiorum gratiâ con-
cessit, ubi per semestre & quod excurrit studijs
operam collocavit. V Vittebergâ jussu paren-
tum Comite Præstantissimo & Litteratissimo Dn.
CHRISTIANO HERDESIANO I. V.
Candidato, Hamburgum, Hamburgo, per civi-
tates maritimas Lubecam &c. Sundium Pomera-
norum venit, unde iter maritimum in Daniam
Christianopolin versus ingressus est, post inde
superiori anno Hafniam contendit, ut ita lon-
gius a suo solo recedere & ad varias fortunæ vices
in orbe peregrino obdurescere disceret. Hafniâ
tandem, sed fato eheu infelici Regiomontum ve-
nit, & uti animi propositum erat studiorum cur-
sum confirmare cepit, prælectionibus privatis In-
stitut: Imperialium, ut & quatuor priorum libro-
rum Pandectarum semestri Hyberno à Clarissimo
& Consultiss Dn CHRISTIANO OHM
I. D. & Profess. Primario habitis, non sine fructu
sedulus interfuit, & per octo menses hic inquil-
nus

nus & domesticus in ædibus dicti Dn. D. OHMY
vixit, donec tandem insperato & inopino casu in
Sicarium incidit, qui 28. Maij horâ intra octavam
& nonam vespertinam illi absq; armis domum
egrediuntî lethale vulnus inflixit, ut 30. ejusdem
circa horam 2. Pomeridianam animam Creatori
suo reddidiret. Dolendum vel maximè, erep-
tum esse parentibus filium, *Academiae civem,*
Academicis concivem, *Reipubl. verò litterariæ,*
magnum olim futurum columnen, Viderit ergò
quo jure quâve injuriâ fecerit sicarius, cogitetque
se se rationem aliquando DEO redditurum, ad
quem clamitat vox sanguinis effusi de terrâ & pe-
tit vindictam. Durum hoc fatum defuncto quie-
tem peperit, & veram vitam, sed Parentibus sæ-
vum dolorem atque luctum accerimum. Vene-
rentur autem DEI voluntatem ejusque paternas
manûs, etiam ubi feriunt, exosculentur æ quo ani-
mo, providentiæ divinæ, quæ nobis multò meli-
us consulit, quàm nosmetipsi, obtemperantes,
divinum effugitantes solatium, quod ipsis ex ani-
mo comprecamur. Apud Majores, qui juve-
nes immaturam, ut videbantur, mortem obierant
albescente cœlo, ante solis exortum à propinquis
efferrî solebant, quod nefas opinarentur, tanti ma-
li tantæque calamitatis spectatorem ac testem esse
solem. Atque eam ob causam dies ipsa eos au-
ferre

ferre ac rapere dicebatur, quòd ut primum dies
apparere ceperat, auferrebantur. Hic verò Sol
mediâ luce tanti mali spectator erit, & juvenem,
qui plurimis flebilis occidit, in meridie efferri vi-
debit. Nostrum erit ita rem agere, ne negligenti-
æ & securitatis, sol porro testis discedat, & dum
triste hoc funus oculis menteque versamur, alieno
exemplo cogitare, ut piè vivamus & benè transea-
mus. Excitet in animis nostris præsens funus
communis mortalitatis memoriam & necessitas
de precibus pro communi salute ingeminandis nos
admoneat. Cùm verò exuviæ hujus animæ ho-
diè terræ matri sint reddendæ, omnes Reipubl.
litterariæ cives rogamus & hortamur, ut frequen-
tes exequias cohonestent, ad beatam ex hac vitâ
migrationem se præparent. Efferetur funus, cum
horâ primâ signum dabitur ex ædibus Clarissimi &
Consultissimi Viri Dn. CHRISTIANI OHM
I. D. & Professoris Primarij Collegæ nostri hono-
randi, adeste igitur & concivem vestrum ad dor-
mitorium usque suum deducite P. P. Calendis
Iunij Anno 1635.

Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift

Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

1017







706

O F V N E .

S

tum

Simi Viri-Juvenis

Hoffman S E R .

si in flore ætatis ex lethali
no 1635. vitâ piè

ti

P T A

NATU ACA .

MONTANÆ



ij Segebadij .

XXXV .